



Hist. vol. Pax. K. 385.

5  
22120 Ярославль  
Д. В. Китагиев  
DE  
**WVITEEBERGA**

# DISSE<sup>R</sup>TATI<sup>O</sup> MATH<sup>E</sup>MATICA,

**P R A E S E S**

# PRAESES

PRAESES  
M. GEORGIUS GVILIELMUS  
KIRCHMAJERUS,

**Wittebergenfis,**

## RESPONDENS.

GEORG. HENRICUS LIBIUS,  
Freibergâ - Misnicus,

## *Auditorio Mino*

*In Auditorio Minori,  
Ad Diem IX. Januarii, A. d<sup>o</sup> b<sup>o</sup> Ic XCVII.*

## VVITTEBÆRGÆ.

Ex Formis CHRISTIANI SCHRÖDTERI, Acad. Typ.

• АОТРА

13

ILLUSTR. ET GENEROSISS.

DN.

DN. JOH. HEINR. de KAYN,

In Aulic & Mutschau &c. Dynastæ,  
Ducal. Aulæ, Justitiæ & Consistorii  
Ecclesiastici, Cizæ eminentis, Consi-  
liario, Reverendiss. Capituli Num-  
burgensis & Cizensis Capitaneo ac  
Directori Excellentissimo, Redi-  
tuumq; Provincialium Mo-

deratori summo,

DN. & PATRONO Gratiōsō,

Ea, qva decet, observantiâ  
Dissertationem hanc  
Mathematicam

D. D. D.

Autor.

**V**ITTEBERGAE muniendæ rationes, altera hæc Dis-  
sertatione, inituri ac proposituri vix operæ puta-  
mus esse pretium, quærere, an expediat firmare  
urbes? Acta certè non agemus; aut, quæ alii in-  
utramque concessere partem, repetemus. Impru-  
dentis est, ac rerum notissimarum ignari, negantem velle serio sen-  
tentiam defendere; cùm ævi omnis historia reclamitet. Quam-  
quam haud inficiemur, locum hunc non omnino nullas cautiones  
habere. De eo plurimi more sophistarum veterum differunt.  
Modò ajunt, modò negant, collatis utrinque, ac compositis ratio-  
nibus. Placet in præsens affirmare illud, cuius à *Machiavello cap. X.*  
*n. III. (conf. i. XX. Item differt. ad Liv.) usus ( reliquos moramus mi-*  
nimè,) non quidem impugnatur, sed nec adeò approbatur. Certum  
est, vix sibi ubique constare Principis auctorem; ut, si subtilius qua-  
ras, sui nonnunquam oblitus videatur. Obscuris verò lumen  
adferunt animadversiones *Hermannii Conringii*, qui in tantum lau-  
dandus, in quantum exquisitissima rerum civilium scientia intelli-  
gitur. Magno annales replicare conatu, historiarum monumenta  
pervolutare, rationum momenta conquirendi causâ, non vacat,  
nec, si vacat, in argumento manifesto, decet. Exempla ipsa non  
altius accersi debent, utpote cùm obvia sint & exposita, quæ diutur-  
num bellum, quo cum adhuc Germania conficitur, præbet. Sed,  
ne proisus antiquiora fastidire videamur, dicemus id, quod res est.  
Imperium Orientale, cum ipsa simul sedē, *Constantinopoli*, pessum  
ivisse, ac in Turcarum redactum potestatem, seculi XV. historiæ e-  
narrant; cuius gravissimæ jacturæ causâ *Constantinus M.* atque suc-  
cedentes accusantur, qui terrarum suarū fines neglexerant, nec ad-  
versus finitimorum barbarorum vim muniverant. Anno 1565. *Meli-  
te, Equitum Joannitarum Insula*, uti est apud *Tbusanum L. XXXII.*  
pertinaciter restitit extremæ Turcarum rabiæ, ac impetu, beneficio  
operum, quibus valebat, pertulit per menses quatuor, repressit tan-  
dem ac fregit, cùm *Hispanorum* auxilio ab obsidione liberata fue-  
rit. Plura alia in mentem veniunt, quæ de industria nunc præter-  
mittimus; instituti enim ratio prohibet, in medium adferre cumu-  
latiūs.

tiūs. Obversantur, nostrā memoria, oculis clara ejus rei documenta, in bello, quod, cum maximo sanè damno, pressit Germaniā, ac tantum non opprescit. Apud animum reputanti causam, cur Galliarum Rex, *Ludovici X/V*: adeo nondum sit dejectus gradu, ut etiam unus plurium potentissimorum hostium cōptis, & clam, & palam, obviam eat, quibus nec nervus rerum gerundarum, nec alia defūnt belki instrumenta, occurret statim hēc, ac sponte, non diu quæsita, ratio sese offeret, quod penetrare audentibus ad provinciarum viscera opposita castella sint ac propugnacula. Hēc victoriæ ponunt obicem, ac impetum fortitudinis fatigant. Nobis tacentibus, loquatur *Namurcum*, duos ferè abhinc annos quanto steterit sanguine ejus expugnatio; ut de impensis, & sexcentis aliis sileamq;. *Flandria*, quā *Gallorum* subjecta imperio est, firmatur inexpugnabilibus propè castris; quā singula exercitum justum, obstantem se ac oppugnantē, non dicam debilitare, sed confidere ac corpora animaliaq; enervare possunt. Enimverò hujusmodi sunt munitæ *Gallorū* urbes, ut defendant fines, irruentes arceant & repellant, asperis confragosisq; & partim arctis, partim arduis viis imminentes; ingressos à tergo intercludant, commeatu privent, aliisque damnis affligant, suis contrā receptum tutissimum præbentes. Nimirū loca, castellis idonea, communia maximē apud eos cernuntur. Pleraque ad fluvios, non ignobiles, apparent sita, veluti ad Mosam *Dinanum*, ad Sabim *Caroloregium*, & alia id genus; ne quid de *Alsatia* propugnaculis commemoremus. Vid. *Les Forces de l'Europe*. Tabulæ sunt publici juris factæ Anno 1695. *Parisiis*, potiores urbes munitas, septem descriptas voluminibus, complexæ: quarum, schemata, incisa æri, omnibus elegantiæ numeris partibusq; absoluta, studium cuiusvis ad se alliciunt & tenent.

II. Ex his leviter disputatis intelligi haud difficulter potest, excludendum fore, qui serio quicquam in contrarium adferre vellet: labor scilicet ineptus ac inanis esset, tempusq; in re frigida conteneretur. Quin imò reprehensionem vix evitabit quæstionem tantum movens: *an ex usu sic Principis, aut Republicæ, munire urbes?* & rationes, & exempla, meritò affirmabant. *Poloni* cladibus peccata suis luunt, jureq; plectuntur, qui opinionis errore ducti, ne libertati vis inferatur, regiones Scytharum feritati ac immanitati la-

ceran-

cerandas relinqvunt, multaq; millia in durissimam abduci servitutē solutē negligenterq; patientur. *Podolia* caput, prope Niestrum, *Kaminieck*, recuperare cessant. Quadraginta ante annos, & amplius, parum abfuit, quin utramq; Poloniā aditu facillimam, Sveci sux potestatis facerent, ac in provinciæ formani redigerent. Vid. *Puf-*  
*fend. L.V.I. ad ann. 55.56. H. st. Brander. b.* Atqui sic fidem quasi præ-  
struere nostro voluimus instituto; quippe qui *VVittieberg* e, in tem-  
pore, prospiciendum ac consulendum tutelæ ducimus: primū,   
quod *Saxonia* Electoralis limites aperiat. Admisso autem hosti nil  
obstat, quod minùs longè latèq; grassetur igni ac ferro, nudet popu-  
lando agros, fruges corrumpat, ( unde ali exercitus ac incolæ de-  
bent,) oppida exscindat, vicos exurat, imò, ut breviter simpliciterq;  
dicamus, quaquaversum irruat, miserrinramq; faciat solitudinem.  
Deinde Albim tueri debet, qui proprius abest, & potiorem urbis par-  
tem à meridie claudit Deniq;, ingruente bello, recipere sese eò, sua-  
que, quæ moveri possunt, asportare coguntur agrestes, & cives reli-  
qui, ne militum ac calonum injuriis & furori sint obnoxii. Ea de re,  
pro captu nostro, differemus ex instituto, ac muniendæ Patriæ rati-  
ones explicabimus, quæ præstantissimæ esse videbuntur. Non tan-  
tū nobis interim licentia sumpturi, ut ex ingenio quid configamq;  
quod nullo rerum usu aut tractatione subactum est. Namq; vereri  
omnino debemus, ne idem nobis usu veniat, quod sophistæ conti-  
gisse legitur, apud *Ciceronem L.II.de Orat. p.99. Edit. Schrev.* qui lo-  
cutus copiosè de Imperatoris officio, & de omni re militari: exagi-  
tatus idcirco, ut idem auctore est, ab *Hannibale*, cùm nunquam ho-  
stem, nunquam castra viderit, sive, *Plinio L.II.Ep. 7. scribente*, nun-  
quam steterit in acie, nec tubarū sonū, nisi in spectaculis, audiverit.  
Ita nempe animum inducimus atq; pronunciamus liberè, cogniti-  
onem contemplationemq; mancam quodammodo & inchoatam  
esse, si nulla rerum actio consequatur. *Cic. Off. L.I.c.18.43.* Multa  
sæpius in mentem veniunt, quæ placent; si aggrediaris opus, ac in-  
venti facias periculum, displicant, nec exspectationi respondent:  
Rerum enim usu cognitio artis confirmanda est: suscepitis labori-  
bus, periculisq; aditis, sic rectissimè, quasi mercedem, is perfectam  
sibi experimentisq; corroboratam notitiam comparabit, qui obsi-  
dionibus, aut præliis, interfuit magister muniendi. *Inspiciatur*

*N*undis Bibliogr. milit. à Schubarto Jena edita, p. 1. seqq. Sequemur igitur, quod ad *VVittebergam* attinet, *VVercknerum nostrum*, qui rei hujus prudentia singulari gaudet. A natura videlicet bene informatus, multa solerter investigavit, quod mireris, sine literarum adjumentis, eaq; crebram ad exercitationem accommodavit, sua aliquando emissurus. Stipendium iste meruit primū in castris Principis *Auriaci*, cùm munitissimam urbem, *Graue*, Mosæ adjacentem, in Séptentrionali *Brabantia*, anno seculi hujus LXXIV, oppugnaverit vi maxima, tandemq; in dditionem redegerit. Quæ obsidio planè memorabilis est, quod bellico apparatu omni instructissima, à *Gallis* insessa, fortiter restitit. Hactenus utilem navavit operam Saxonie ELECTORIB. aliquot. Ne verò nimis sterile aut jejnum videatur differendi argumentum de *VVittebergae* emendandis muniendi rationibus, inserturi sumus varia pro ratione instituti, quæ à vulgari via longius recedunt: cum experientia tamen optimè consuviunt, & profund.

HI. Ex prioris Dissertationis contextu repetere aliqua necesse non est. In præsens circumferemus oculos, ac rationes firmandi urbem aptissimas circumspiciemus. Naturalem loci situram intueri velimus, is est ad munimentum atque incrementum urbis (liceat cum *Livio L. V. e. 54.* ita loqui.) unicè natus. Flumen vicinū ad commodates percipiendas multū adjuvat. Salubritate aeris ac temperie præstat aliis mirificè, neq; vicqvām contradicentib; malevolis; uti alibi argumentis, exceptionē majoribus, ad convincendū ignorantiae eos, demonstrabitur. Propter planiciem laudari etiam locus debet, munitionis capacissimus. Qvamqvām potius de condita jam urbe, mœnibusq; circumdata, & operibus aliis, successu temporis, præseptā, dicendum. Si res adhuc integra esset, ac locum, oppido delectum, muro cingere, tatumq; adversus circumfessurā cuiusvis hostis impetu reddere, exq; visitiore ratione, placeret: in alia abire omnia, diversamq; ingredi viam ad fastigium perducta propè hodie ags jubet. Figuram ostendit sui *VVittebergæ* triangulo similem; qva sol oritur occiditq; versus Albim, excurrit in longitudinem, ac è longinquo adspicientibus pulcherrimam præbet speciem; dum frequentiores, extra portas, ab *Elytro* amne, ac *Argo* nomine indeptas, esse continentes domus, ac, sine interposito spatio,

spatio, urbi commissæ videntur. In medio, ubi spectat colles, vineis  
consitos, extrorsus coit in obtusum quasi angulum, instar gibbi.  
Hoc cognito, disqvirere attinet, quomodo sint corrigenda eaſtri,  
radiori ſeculo tum neglecti, vitia; ita ſcilicet, ut ſumib⁹ parcatur  
nimis. Ab initio statim habemus præmonere, duobus, quæ appro-  
bata intelligentibus, munitionis generibus adjiciendum animum  
elle; alterum, ad normam regulamq; attis compositum, vocatur *Re-  
gular fortification*; alterum, quod inde, pro conditione loci, re-  
dit longius, *Irregular fortification*. Primum nil loci habet; uti  
ex ſupra allatis appetet; ſi qvidem ejus omissio ratio in exacta linea-  
rum ac angulorum æquitatē conſtituit. Quid hoc illō sit facilius  
longe, dubitari prorsus nequit. Alterum totum in exquisitissima  
artis cognitione innititur. Hic, hic aliquid ingenii ſui pertinet vi-  
res, proferat, ac ſi potest, ostenter. Sudabit, credo, ſatis, quisquid  
demūm ille fuerit. In primis maxima in laude prudentiae ponitur,  
ſi inæqualis muniendi modus ad eum, qui usquequaque ſibi ſimilis  
eft ac conformis, proxime accedat. Priuſ luculentis illustrari ex-  
emplis potest, veluti *Nova Palma*, quæ Venetorum peregregium pro-  
pugnaculum ac potentia ornementum eft; *Cæverden*, caſtri pro-  
vinciae Græningensis prætantioris. Vid. *Les Forces de l'Europe, ou  
description des Principales Villes, avec leurs Fortifications*. Quan-  
quam paucissimæ occurruunt munitæ urbes, quæ modò dictis re-  
ſpondeant ſtructura accutata: ubi & linea, & anguli, in universum  
omnes penitus ſibi constant invicem. Impedit enim ſæpè locus;  
de quo nos admonuit ex veteribus *Vitruvius* L. I. c. 4. addatur *Ri-  
vii Commentarius*. ex recentioribus plerique; ut plurimum intem-  
peſtiva parsimonia prohibet. Id dabunt operam igitur magistri  
artis nobilissimæ, ut, ſi fieri, vel aliquā etiam ratione, potest, remo-  
tis obſtaculis, dirutis ſcilicet ædificiis, quando exigit necessitas, &  
qualem partium instituant descriptionem. Hoc ſtabilis defenſio-  
nis ratio continetur.

IV. Ad *Vittebergam* redimus. Quomodo sit tale mu-  
niendum oppidum præcipit & tradit copiose *Mattiæ Dægenius* L.  
I. c. 10. ex offic. Elzeviriana, p. 239. seqq. in *Archit. mil.* cuius auco-  
ritate, præ cetetis, eo utimur habentius, quò magis inter Belgicarum  
munitionum (*Niederländischer fortification*, ) eminet artifices.

Ex an-

Ex antiquissima historia desumit multa, recentiora illustrandi causā, eaque non sprevit temerē, ut, hac tempestate, ineptissimorum mos est. Asseverare dubitamus minimē, plerosqve dolos militares, sive *spātīnūa*, qvæ adhibita *Livius* refert, ab ævi nostri experientia comprobari. Si pateretur instituti forma, demonstratio in expedito esset. Vid. *L. XXII. c. 10. ed. Grut. c. 12. seq. c. 47. XXIV. c. ult. XXVI. 4. 38. XLII. 59.* Is opificum vulgus & sellularios pro minimē militiæ idoneo genere habet *L. VIII. 20.*; eadem & nostris mens *Buebegius, de re militari adversus Turcas insituenda.* In partes vocati meretur *Joh. à Chokier, de Surlet. Thes. Polit. Apb. Part. II.* qvī se, ob *Lipfium* doctorem suum, ac in Politicis ducem, prædicat felicem. Abbatis hujus, munera amplitudine ornatissimi, eximia eruditio ante qvinquaginta annos, & ultra, *Leodium* illuminavit. Innumera Historici antiqui diligens suppeditabit lectio, in *Hannibale* præsertim, cum maxima loquendi formularum, ad nostras bellandi rationes concinnè exprimendas accommodatarum, copiā, qvæ hic præteriri debent. Nēqvid de *Casare* ac *Tacito* dicamus. Ceterum laudandi essent, qvos nostra vidi tatas, *Neubauerus, Rimplerus, denique Scheiterus.* Omnes enim evolvere jam auctores haud placet; magna pars ineptiunt. Delectum qvispiam, studiosus rei nostræ, habiturus, præter citatos, adibit *Daniellum Specle, Comitem de Pagan, Vaubanum*, cuius, inter Gallos principis, modus descriptus extat libro peregrinatio, edito par Mons. L' Abbe du Fay Amstelod. 1692. Eò sciendi cupidos commode alegamus. Operæ pretium fecit *Georg. Conr. Martius*, cum qvo jungendus *Job. Henr. Bebr.*; uterque ideo labori novitatis gratiam conciliavit suo, qvōd recentiores, celebriores non minus Scriptores, produxere, eorumq; sententiæ divortia, propositis simul figuris, excussere ac emendatè explicavere. Nobis in præsens curæ munimenta exteriora crunt, via cooperata, item alia, qvæ oppugnantium ferre impressionem valent. A crepidine (*Chemin-couvert,*) ducetur initium. Superiore jam Dissertatione num. VIII. scripsisse nondum pœnitet, hoc fere unum mansisse intactum à controversia; aliis plerisque in disceptationem vocatis. Vix qvicquam pro certo accipere licet. Hic ait, ille negat. Militum stationes (Italis *Caponiere* vocatas,) commentant agendi cogitandiq; solertiæ exercitatissimi Viri, qvos, hono-

ris gratiâ, appellamus, *Rimplerus* & *Scheiterus* passim ; aliud se e-  
doctum, in obsidione *Sedinenſi*, *Neubauerus* perhibet. His sunt pro-  
piores fossulæ (Gallis *Coffres* appellatæ,) in majori fossa constructæ.  
Vid. *Nonvelle Maniere de Mr. Vauban*. p. III. ff. in 12mo. Liber, qui *Mo-*  
*guntia* in lucem exiit, mentitur hujus nomen, continens notissima;  
titulum gerit, der *Deutschredende Vauban*. Hæc utilissima via an-  
gusta valde apud nos conspicitur, quæ in occasum ac septentrio-  
nem posita ; nec satis tectus ire, aut consistere, miles ibi potest. Quæ  
ortum spectat urbs, nulla haec tenus occurrit. Latitudini tamen suf-  
ficiant perticæ duæ, cum dimidia. Nec aggeribus transversis,  
(*invenses*) sudibus verticalibus ( *pallisages*,) angulisq; careat : ubi  
spatia fieri solent, cohortibus capiendis apta ( *places d'armes*,) Eo-  
dem ferè recidit illud, quod ferræ formam præ se fert, ac, technico-  
rum lingua, dicitur *redans*. Hujus sanè non minor usus est ; dum  
ad tegendos se invicem haud modicum faciunt momentum anguli  
isti, plerumq; acuti. In eo nempe studium omne collocetur, ut  
nulla planè munimenti pars à facultate mutuam sibi ferendi opem  
destituta relinquatur, nec adeò militibus societas mutui auxilii  
vel minimum dirimatur. Hoc, non ultimum momentum, obser-  
vari præcipuè debet, ne latus Polygoni exterius ( *polygone exterius*,)  
ultra centum perticas producatur temere. De qua quidem  
re agere ex instituto nequaquam fert animus. Sufficiat, prodiisse  
in med. um *Neubauerum*, qui contra *Scheiteri* sententiam veris so-  
lidisq; pugnat argumentis, Cap. I addens tamen temperamentum  
aliquod, si necessitati parendum, posse plures insuper perticas adjic-  
ci. Et custodienda (lubet proprio *Plinii jun.* verbo uti,) semper de-  
fensionis linea ; ne extra globi jactum aut vim posita, in longius  
proferatur & porrigitur. Vid. *Martiū Part. III. p. 32. seqq. LX.* perti-  
cas, sine ulla loci exceptione, assumimus. Ea ipsa causa nos movet,  
quamobrem de exterioribus propugnaculis (*Aussenwerken*) *VVit-*  
*tebergæ* prospiciendum rectius ducamus ; sine quibus leviori discri-  
mini exposita, nudaq; ac opis mutuae indigens obſistere nequit.

V. Quid de operibus illis generatim sentiendum sit ? edifferendi  
operam accuratiorem alii jamdudum occuparunt. Fatemur tamen  
ingenuè, controversum hoc momentum in utramq; partem acri-  
ter & ardenter disceptari, certum definitumq; illud, quod experi-

mentis suffulcitur. Recentiorū in numero profitetur nōmē *Ern. Frid.*  
*de Burgsdorf*, qui libro, ed. 10. Ultm. 1682 que inscripsit, in expugnatō  
le mūnūmentum, utilitatis omnino experītia contendit, ingenio ni-  
mīum indulgens, ac magnificētiūs de suis prædicans, quām conve-  
nit. Parimodo à *Scheitero in Noviss. Proxi milii.* p. 52 sq. occurrituri  
attamen haudqvaqvām animq; errore vagatur, habens, quod sequi-  
tur. His præsertim *Rimplerū*, in fundamētis muniendi & defendendi  
p. 81 seqq. opponit. Intelligentiam hac in re nostram exutiendi,  
animiq; sensa explicandi, medium ingredierur viam, quæ videbitur  
tuifima. Locus admodūm est lubricus; idcirco cautiones habet  
plurimas. Exteriora propugnacula, exceptā lunā dimidiata, eo in-  
primis nomine, quod priūm operū appropinquationes (appro-  
chen,) procul à mōenibus arcet; deinde ingruentes hostes, ac eō  
procurrentes & peradentes, cuniculis pulvere pyro completis, iis-  
que igne immisso, sursūm deorsūm disiectā ac quassatā terrā, everti-  
tunt miserōs ac cooperiunt, approbamus talia: quateng vix ultra se-  
xaginta perticas ab urbe distant, ac laborantibus inde etiā subveniri  
sclopetis possit. Unde singulare præsidium, præ machinis, pendet,  
contra *Scheiterum* p. 81. Baronem *Russensteiniūm*, *Borgsdorffium* p.  
12. seqq. Cetera, quæ huc spectant, ne tangemus quidem. In multi-  
tudine aliisq; Belgæ peccant. *Breda* exemplum, cuius obsidionem  
*Hermannus Hugo*, in ordine Ignatiano nominis Vir clarioris, pro-  
didit memoriæ, (edit. Anivverp. ex Officina Plantin.) plurib⁹ omissis,  
testabitur. Exteriorum operū tria in præsens proposito serviunt:  
moles, (Ravelins s. derachirte Bollwerke,) corruta ac coronata,  
quæ à similitudine retum aliqua nōmen ferunt. Vid. *VVendelinus*  
*Sibylknecht Arbit. mil.* p. 33. 39. 125. cuj⁹ oblivisci nefas putamus. Est  
is facetus ac festivus, supra modum nonnunquam; de *Gustavi Adol-  
phi* virtute ac pietate singularia referens, quæ, memoriæ prodita, in  
aliis desiderabis. Legantur p. 198 seqq. Expeditionibus nempe inter-  
fuit ille, à *Sueiorū* Rege suscep̄tis in Germania; ab initio statim libri sui  
explicare aggressus Logarithmum; ubi multa solerter inventa cum  
Lectore communicat. Hæc haec tenus in transcurſu. Justo jam seque-  
retur exponendum ordine, quibusnam, in Belgico muniendi modo,  
*Orthographia (Profil)* vitiis labore? sed longiores esse nolumus ea  
in parte; ab aliis enim artis hujus, quæ, & in propugnando, & in op-  
pugnan-

pugnando, (Gewalt/ uñ Gegen-Gewalt) vertitur, scientissime re-  
jectam illam, gravissimis quoq; argumentis, satis superq; constat.  
Operam attingit illud nostram proprius, quando exteriora dicunt  
propugnacula, quæ paulò ante significavimus, aliter ac munimen-  
ta (*bastions*) esse ædificanda in spatium angustius coarctanda, adeo  
que nec latitudine, nec magnitudine, majorib; minora adæquanda.  
Hinc trahatur labes, si limanda veritas, quæ nccuit, imò exitio fuit  
urbibus munitis; quandoquidē, quæ tueri ipsas oportebat, adversari-  
um, ad mœnia promoventem aggeres, impedire, remorari, fatigare,  
exercere, illa, propter debitū justumvē denegatū robur, repugnan-  
di vim imbecillem habuere; impulsa potiū, summis obsidentium  
viribus, aut verberata machinis, sunt collapsa, & præter exspecta-  
tio nem in hostium venere potestatem. Minimè utemur, in re non  
dubia, testibus non necessariis. Proprium igitur statuimus esse pru-  
dentiae unam eandemq; majoribus operibus, verbi gratiā, *cornu*,  
*coronato*, paucissimis mutatis, tribuere & accommodare cum illis,  
quæ innexa urbi, *ortographiam*; aliis nequicquam adversantibus.  
Ut breviter summatimq; enunciemus, quod cum animo deliberatū  
habemus; vallum hac figurā construatur, altum XII. ad summum  
XV. pedes, *ambulacrum* ejus tres perticas latum; loricæ (*parapet*),  
inferior latitudo (*Unter-Anlage/oder Breite*) XVII. ped. æstimatur,  
altitudo interior V. exterior III. scabellum (*banquet*, ) adjici debet,  
latum I:I, altum  $1\frac{1}{2}$  ped. Acclivitatem (*Dosstrung/ Böschung*) in-  
teriorum & exteriorem valii, loricæ, fossæ, & sic deinceps, tacebi-  
mus. Atqui partium necessiarum, quas percensuimus, justam alti-  
tudinem latitudinemq; nemo perspectam & cognitam penitus ha-  
bet, nisi cui ingens sit tormentorū majorum vis explorata; quousq;  
globus perforet? Adeamus licet *L.V.c 19. Nouveau Traité des Fortifi-  
cations de Mr. Vauban*. Quemadmodum ergò in usu ac tractatione  
rerum militarium sunt reperta, & per manus tanquam nobis tradita;  
ita, unà cum allatis supra, ante oculos collocavimus. Quod si enim  
excedatur modus vel altitudinis valli, loricæ, vel latitudinis, defensio  
fossæ minuitur, hostiūq; via expugnandi citius munitur. His posi-  
tis, divisio munimenti in *maius, medius et parvum Regale (Royal.)*  
spontè corruit.

VI. Egressis portâ Arcis, Albim versus, fluvium Germaniæ amplif.

B 2

sum,

simum, in quem torrentes ambo, (vid. n. FI. Diff. I.) à diverso cursu nomina sortiti (faul und frische Bachen dicti,) effunduntur, editus, isq; acclivis locus, cui frequentiora piscatorum tecta imposuerunt nomen, ut nuncupetur, die Fischerey prope officinam, ubi lateres coquuntur, occurrit; qui, uti inter omnes constat, plurimum obesse castro, hoste imminentem, potest. Ideò necessitas, ingens telū, requirit, ut id spatii cum urbe conjungatur, per opus, quod maxima ex parte in meridiem prospiciat. In mentem venit recordari, scriptū legi, superioris Dissertationis num. extremo polygonis interioribus *Vvittiebergam* usquequaq; longissimis laborare, non citra insigne incommodum. Hoc vitare student magistri modis omnibus, qui, quantum importent, norunt. Prudenter ita, remotis impedimentis, non unius generis malo, quod inde solet nasci, medebuntur. Propugnaculum scilicet illud, ad Albim situm propriū, in potestate fluviū habet, eumq; ab infestis navib⁹ tutū reddit, chordam item, (*cortine,*) partium procul distantium ope denudatam, defendit. Enimverò, sine harum adjumento, instanti, coronā circumdati mœnibus, impar est, facileq; oppugnantem admittit. Meritò eapropter mutilam illam ut ita loquamur. & mancā cum corpore brachiis privato comparaveris. Nunc de alis (*flangas*, quarum singulæ, ad leges nostras compositæ, tribus & decem se machinis tuentur,) ut Lectorem admoneamus, hortatur occasio; an longiores commendentur *faciebus?* non disputabitur. *Oblique* placent, *directæ* displicant; quas alii jamdudum validis rationum momentis convellere. *Secundaria* (*second-flancq;*) minimæ fiduciæ, duob⁹ forsitan instructa tormentis, non præstat, quod præstare debet. Duas ad moles venimus, quas, præter illam cuius mentionem alibi injecimus n. II X. necesse est, novas, in meridiem vergentes excitare; earumq; alteram faciebus tantum, *Belgarū* more, alteram alis quoq; præditā. (*geflügelte Kavelin*) Progressi paululùm ad tutelam non parū conferre arbitramur opus *coronatū*, quod aliqua ex parte in ortū solis objacens, ad *Eiystri* portam, maximè jam prædictum munimentum, editiore suburbiorum loco conditiū, respiciens, objectum *Aibi*; conatus infringendi causā, qui per completas fasciculis fossas murorumq; casum urbem invadere, ultimā adhibitā vi, connituntur. Quām eò perveniat hostis, prius capi alterutrum majoris generis debet. Id incepsum effectu erit

erit gravius. Licet enim, quatiendo machinis tormentisq; loricam, aliquantum propugnaculi nudaverit, celeriter dirutus agger refici, aut parte occupatâ, dum retrocedere coguntur obsecsti, munimenta nova eâ, quamcunque suaserit necessitas, figurâ institui solent. Hanc profectò rationem tutandi se, aliis post alia oppositis, quæ expugnanda integra fessis sunt, imminuendiq; virës ad orientium, non possumus non collaudare. Reperias qui de his talibus operibus, ad recipiendum illos, qui superantur, promptis ac paratis, minus bene judicandi statuendiq; liberum arbitrio suo jus pëmit-tunt. Scheiterus p. 64. seqq. militiæ peritissimus, affirmandi promiscuè arrogantiam vitat, fugitq; temeritatem; nobis non revera contrarius. Cautius, obsidionis demùm tempore perficienda, milite gravissimis alioquin laboribus distracto, negant, terrâ insuper, à temporis brevitate, laxiore, nec satis compacta, leviter mota ut diffuat, futurum ajunt; reliquas causas mittemus. Urbi pariter regressus, (retrenchementis,) quemadmodùm in exterioribus hactenùs utilitatem consideravimus, conducunt, & saluti ejus consulunt. Candia, tres circiter annos, incredibilem in modum, à Turcis obsessa, suffragatur. Quod malè habet & Scheiterum, & Rimplerum, ratos, licere hosti ita congerendæ terræ operoso molestoq; supersedere labore. Id ne fiat, diligenter cavendum. Galli desperato hoc subsidio, honestas certè deditioñis conditiones exprimendi spe fallaci freti, semel iterumq; usi sunt. Tametsi via cooperata potiatur hostis, ipsi tamen, intra mœnia, multum negotii non desinat prudens juxta ac fortis custos rectorq; facessere; uti monet Neubauerus in Discurs. Idoneum spe-ctandum exhibet exemplum Sietini, validissimæ urbis expugnatio, quam onarrat fusiùs Per-Illustris Pufendorffis Hist. Brandenb. L. XV. p. 1126 seq. ad an. 1677. quo sanè opere gloriam gestarū à FR. VVILH. rerum ab injuria asseruit oblivionis, ejusq; immortalitati prospexit pariter & suæ; quid? quod magnum attulit adjumentum cunctis, ut, non modò historiarum rudes, verùm etiam docti multum se arbitrentur adeptos, & ad dicendum, & ad judicandum, de Germaniæ negotiis, Principumve abditis retrusisq; arcanis. Inveniuntur ibi, quæ in sexcentis aliorū lucubrationibus frustrâ quæsiveris. Anglicū muniendi magistrum, cui nomen est Gulanio, in nupera Valencia obsidione, pro egregiè præstata, per regressus, operâ, haud spennen-

di annulo pretii donatum à Duce *Legatio*, spe prolixioris benignitatis, à Rege ipsomet Hispaniarum exspectandæ, adjecta, publicæ literæ, mense Octobri, nuntiarunt.

VII. Qvæ adhuc locuti sumus, eò valent universa, ut intelligatur, quid ex usu *Vitebergæ* sit? satis non habuimus, proponere, proposita simul rationib⁹, usui rerum consentaneis, stabiliri debuit. Restat opus *cornutum*, molem inter, qvæ munimento, onus *eqvitis* (*Cavalier s. Eque*) sustinenti, ministrat, ac *Elytri* portam, situm, & septentrioni objectum. Nam ibi polygono interiori debitæ non habita longitudinis ratio, qvod jam supra indicavimus. *Eqves* vero, artis omnis expers, è propugnaculi medio tollendus, obest magis, qvā prodest. Vid. *Dissert. I. n. V.* Qværitur demūm, qvām lata nobis statuatur exteriorum fossa? ejus hunc in modum conservimus exquirere rationem; dividentes nempe in quatuor partes, circini beneficio, majorē fossam, VII. perticas latam, abscisia unā, tres isti assignamus; minimè ignari, *Belgis*, aut eos sequentibus, videri aliter; causam ex n. V. repetes. Temperare nobis haud possumus, qvinterram admodum arenosam circumcircā reperiri profiteamur; remedium, qvod malo, haud levi, parari queat, Architecturæ milit. auctores passim edocent. Novam *Vaubani*, qvem, honoris causa, iterū nominamus, viam, magistrorum omnium in *Gallie* signatam ac impressam vestigiis, ut ineamus in plerisq; non autoritas duntaxat, sed potissimum experientia tanti Viri svadet. Libri perexigui, qvi illius methodum continet, ab Abbe *Fay de Bruxelles* editi mentionē alibi fecimus. Aliquanto majores debentur laudes Eqviti *Chambry*, qvi in ordinem redactam auctamq; Germanorū Italorumq; ac Belgarū firmandi præceptis & institutis, *Parisis*, Anno 1692. curavit publicari. Commendatione omnino dignus est liber, FRIDER. III. EL. Principi Brand. nuncupatus, propterea qvōd in Teutonicam commodè lingyam conversus legitur; vocabula non vulgaria. vel usu contrita, apud nos civitate donata, accuratè, cum ipsa Geometria, subnexis schematibus, autor explanat. Materiæ tandem aliquando facturi finem de *Vitebergæ* munienda, veniam impetraturos confidimus à benevolo Lectore, si partes suscepas implevisse minus videamur, summa duntaxat capita contenti primoribus attigisse digitis. Hujus præcipue cupidis cognitum esse id volebamus, qvod ex sententiis

di-

disparibꝫ dissimilibꝫ; sit electu optimū, studentes sedulō, qvo ad fieri potuit, nova antiquis loquendi formulis designare, in qꝫ ibꝫ iō hospites ac peregrini veteres extiterunt. De peregregio sub terra fodientes advertendi ac investigandi modo vid, *Livius* L. XXX. c. 7. In transitu, antiquitatis venerandæ ergo, annotare juvat, solidiore Politici, qvem vocant, ostendi effigiē non posse ab ullo alio recentiorum, qvām qvæ à *Cicerone de Off.* L. I. c. 4. 5. &c 23. L. II. c. 9. jamdū dūm repræsentatur: Eqvitum Pannonicorū, vulgo *Hussarorum*, mores, promptissimos ad lacesendum certamen, limato politoqve imitationis genere nostri (L. XXXV c. 11.) verbis probè licet describere. Qværenti portò causam, qvare alio terum eventu nunc bellum geratur cum barbaris, nec tām expedita vincendi ratio, qvām fuerit oīlī? faciet satis idem ille historiæ Rom. conditorum facile princeps. L. VIII. c. 6. seqq. in primis c. 8. de *Latinis*, qvi usum præliandi à *Romanis* habebant. *Naudai Bibliotheca militaris* digna hīc meritò reputetur qvæ in manus sumatur. Rēs ibi qvæ sitæ & exultæ occurſant. Ut promissis (N. VIII. Dif. I.) stēmus, opportuna rerum serie ad illa jām ferimur, qvæ, Mathesi finitima, animut subeunt. Polli enim elevationem omittere veremur.

lx. Loci hujus longitudinem atq; latitudinem Astronomiæ regulis metiri ex instituto, ac contrarias Matheseos scientia præstantissimorum secum conferre sententias, aut ponderare, propositum neuti qvām permittit. Sumimus pro concessso ac probato, in latitudine, qvod ad gradus, non facile qvemq; lapsum. Observatos LI. concordibus suffragiis tradunt *Appianus*, *Carolo V. percharus*, *Reinboldy*, *Straubius* Prof. olim *Vitceb. Metius* Prof. Acad. *Franckenberg*, in Gymnas. Patav. *Argolus*. Nota sunt reliqvorum nomina, *Titii*, *Kepleri*, *Alstedii*, *Schottii*, *Riccioli*, *Landsbergii*, *Kænigii* in *Brisgovia*; qvorū præcipua pars doctorū munia, cum ingenti laude, obierunt. Minuta variant. Contrà si longitudinem spectes, computandi rationes à se invicem haud exiguo sejunctas habent spacio; præter *Strauchium*, *Metium* & *Argolum*, qvibus XXXVII. gr. XV. min. probantur. Silentio prætermittere vitium esset celebriorem Electoris *Joan. Georg. II. Mathem. Tobiam Beutelium*, qvi singulari studio in patriam ductus, ditionum *Saxoniarum* longitudines summa eruit industriâ ac perspexit. Vid. *Cimelium Geograph* p. 28. seqq. Apertuit idem causas p. 30. qvamobrem laudatos paulo ante viros, positi-

positus calculus, à circumjectis *Pico Tenariffæ* Insulis fortunatis  
ducti initii se fellerit. Ipse met XXXV. gr. XX. min. long. LI. gr. XLIX.  
min. latitudinē ponit p. 57. Harum non minus, eodē loci, commen-  
daturus utilitatem, qva carere satis commodè non liceat, *Kænigium*,  
cetera haud spernendæ eruditionis virum, maximis in rebus erran-  
tem inconsideratè, reprehendit, qvoniam ineptè latitudinem *Lipſie*  
in LI. gr. XX. min. long. XXX. gr. & XXX. min. *VVittebergæ* verò  
long. XXXVII. gr. XV. min. Lat. LI. gr. LII. min. consistere scripsit,  
*Inſtit. Geogr. Elementi. A. 1677. ex iusā.* Quod si verum esset, compara-  
tis longitudinis utriusq; confectæ rationibus inter se, sexaginta, &  
ultra, milliarium intervallo distabunt remotæ. Graduum autem LI.  
& LII. min. latitudo apud nos in consuetudinem jamdiu abiit. Fi-  
dem præterea liberare nostram deberemus, perseqvendis iis, qvæ,  
cùm A.R.S.M.D. II. die Octobris XVII. hora XXI Minut. XLIX.  
post meridiem, à FRIDERICO Sapiente (vid. Dissert I. n. VI.) Acadé-  
mia h̄ic dedicaretur, eaqve solenniter. A.M.D.XXXVI. die VI. Maji,  
horâ XX. pomerid. inauguraretur à JO. FRID. elogiō constantis ce-  
lebratō, diligentes siderum spectatores, more suo, ostensâ, separatis  
temporibus, cœli facie prædixerint. Ne verò vanæ aliquid dedisse  
superstitioni videamur, intacta relinqimus. Alioquin ipsamet quoq; Astro-  
logia divinatio malè audit. Profectò in hoc considerando, ut verum fa-  
teamur, sæpe animus in contrarias sententias distrahitur; rerum exitu haud  
dubiè comprobatarum monumenta illum ad se rapere, absurdâ contra non u-  
nius generis revocare videntur, adferantq; ancipitem curam cogitandi. Ce-  
terum h̄ic subjungendi locus est, qvod in Dissert. I. desideratur, idq; litera-  
rum consignatum monumentis reperitur: apud *Balthasarem Mencium*, *Nar-  
ratione hist. de septē Electoribus &c.* p. 38. anno seculi hujus undecimo, publi-  
catâ, patriam turribus, gallis, fossis triplici, muro lateritio & aggere, q̄inq̄e  
præterea propugnaculis validissimis, opportuno inter se spatio distis (subtilior non  
cadebat rum in virum bonum notitia artis) egregiè communibisse JO. FRID.  
Unde hauserit talia notatu digna? ignoramus. Ad extremum monendus es,  
benevolo Lector, ut virtus ne vertas, quod, pro perpetua qvidē, & ea propriæ  
Mathematicorum consuetudinae, *VVittebergam* æri accuratiū incisam (arti-  
fices dicunt den Grundriss) ante oculos collocare simul dubitaverimus. Ni-  
mirūm fine addito scheme, prout à muniendo magistro, exquisitissima  
cura, delineatur, judicium difficultius, imò Dissertationis sententia vix satis  
explicata ac perspicua videbitur. In promtu tamen illud est, limatumq; ac  
politum suo tandem tempore adjungetur, qvod nos nunc omittere,  
gravissimas ob causas, oportuit, Deo interim immortales  
- gratias persolventes.

Mendz typogr. n. I. p. 2. lin. 16. legatur animos. n. II. l. 15. n. IV. l. 8. omissa pu-  
cta n. III. in fin. l. 2. diruendis; ad *Livii* loca in num. IV. adjiciantur II. 64. IV.  
59. XXVI. 6. 38. XXXIV. 22. XLIII. 22.

Datum der Entleihung bitte hier einstempeln!

01. Juni 1992

06. Juli 1992

23. Aug. 1992

10. April 1997

SACHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

III/9/280 JG 162/6



2 0078359

H. Sax A714

